







1715,5

17  
7

IO. BERNH. Griesens,  
IVRISCONSULTI,

CONSILIARII SAX. AVL. ET CONSIST.  
ANTECESSORIS, NEC NON CVRIÆ  
PROVINCIALIS ET SCABINATVS  
ADSESSORIS FACVLTATIS IVRI-  
DICÆ H. T. DECANI

PROGRAMMA

CHRISTIANI FRIDERICI  
STAPENII

ADVOC. ALTENBURG.

LECTIONI INAUGVRALI PRÆMISSVM.

I E N Æ,  
PRELO WERTHERIANO.

*Chm Fried. Stapen*

*Effectu quæritur in officio  
donationis.*





17

IO. BERNH. SCHNEIDER  
IURISCONSULT

CONSILIARIUM SAALAVIENSE ET CONSIST.  
ANTECURSORIS, NEC NON CENSUR.  
PROVINCIALIS ET SCABINATUS  
ADDESSORIS FACULTATIS IURIS  
DICE H. T. DECANI

PROF. PRAESES  
CHRISTIANI FRIDERICI  
STAPENII

ADVOC. ALTIENBERG.  
SECTIONI IURISCONSULT. PRAESES

PRÆF. O. WERTHERIANO.

*[Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side]*







Inter præcipua officia parentum esse liberis de alimentis prospicere tam evidens est, ut non facile quis inficias iverit: equidem ex Grotii opinione *de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. Cap. VII. §. 4.* non rigore id expletrice exigente justitia, ut posci liberis & parentibus invitis extorqueri queat, sed attributrice idem illud commendante, velut decori aliquid, quodque non tam necessitatis quam honestatis foret, & quo, si deficerent hic parentes, inhumanitatis tantum notam sibi inurent; Enimvero ex aliorum sententia tantum abest, ut locum hic esse plerique existiment justitiæ attributricis, ut potius isthoc parentum debitum ad amissim expletricis exigi debere æquitati magis contorme judicent. Neque enim



enim magis parentes liberis alimenta denegare queunt, quam suam sobolem necare: Qui enim subtrahit alimenta, necat *l. 4. ff. de agnosc. & alend. liber.* Quisquis enim pascendo hominem servare poterat, si non parvisti, occidisti *C. 21. dist. 86.* Juris namque naturæ est maris & fœminæ conjunctio, sobolis procreatio & educatio *pr. I. de Jur. Nat. Gen. & Civ.* Quo pertinet divinum mandatum *1. Tim. V. 8. quod si quis & maxime domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Quin imo si quis deliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit, & (quod pietatis est) necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentie negligendos putaverit, anathema sit *C. 14. dist. 20.* Hinc fit, ut ipso etiam Grotio auctore dict. *Lib. II. de Jur. Bell. & Pac. cap. 7. n. 2,* citra auxilium legis civilis, prima bonorum successio liberis deferatur: qua creduntur parentes illis ut corporis sui partibus non tantum de necessariis, sed & de his, quæ ad vitam svavius honestiusque transigendam pertinent, quam uberrime voluisse prospectum, ab eo maxime tempore, quo ipsi rebus suis frui non possent. Rem hanc bene exprimit Paulus in *l. 7. ff. de bon. dam. ratio natu-*



*naturalis, quasi lex quadam tacita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successione[m] eos vocando.* Propter quod & in Jure Civili suorum heredum nomen eis inditum est: ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis, summo[ve]ri ab ea successione possunt, & dicuntur liberi rerum patrum quasi domini §. 3. *I. de hered. qual. & diff.* Ratio tamen hæc naturalis haud præcise decernit, omnia bona sive totam hereditatem parentum liberis relinquendam esse; sed indefinite successione[m] commodum tribuit, modum succedendi, & portionem, quæ relinqui debet, determinationi Juris Civili committens, quæ determinata portio legitima appellatur, & hanc parentibus integram relinquere incumbit. Quod si enim per testamentum illa non relicta illud inofficiosum appellatur, quasi contra officium pietatis factum *pr. l. de inoff. test.* Si legitima illa portio per donationem auferatur vel diminuatur, inofficiosa[m] donationis venit appellatione. Quemadmodum vero inofficiosum testamentum, instituta querela inofficiosi testamenti, officio iudicis in totum infirmatur; ita, an idem fiat instituta querela inofficiosa[m] dona-



donationis in donatione, expeditum non est. Videtur hoc constitutum, nam Imp. in l. ult. C. de inoff. donat. sanxit: *Non convenit dubitari, quod immodicarum donationum omnibus querela ad similitudinem inofficiosi testamenti legibus fuerit introducta: ut sit in hoc actionis utriusque vel una causa vel similis existimanda, vel idem & temporibus & moribus.* Unde expresse patere volunt, quomodo & in universum inofficiosa donationis querelam ad similitudinem querelae inofficiosi testamenti inducta sit. Quod ipsum firmari videtur l. 2. C. de inoff. donat. ubi, qui provinciam regit, per donationem inofficiosam laeso, ad similitudinem inofficiosi testamenti querelae, auxilium aequitatis impertit, & juxta formam de inofficioso testamento subvenitur l. 1. C. de inoff. donat. Nec non ad exemplum inofficiosi testamenti praeses provinciae jurisdictionis suae partes exhibet l. 6. C. de inoff. donat. Hac lege itaque ult. rescripisse Imperatorem, inofficiosa donationis querelam omnem inofficiosi testamenti querelae omnino exaequandam, & quidem & in temporibus, i. e. ut post mortem donatoris exerceatur, & eodem tempore, quinquennio nimirum  
 exspi-



expiret, & *in moribus*, i. e. conditione, & sic  
 nominatim in Quartæ supplemento: videli-  
 cet ut filius, legitima minus habens, querela in-  
 officiosi cesante ad supplementum tantum agat,  
 si nempe vel in coheredem fratrem immodica  
 donatio collata fuerit, vel, si pater quartam  
 suppleri, etiam, in extraneum collata donatio-  
 ne, arbitrato boni viri caverit: alias, si effusum  
 in extraneum patrimonium fuerit immodica  
 donatione, paterque testatus fuerit, immodicæ  
 donationis querela non minus quam querela  
 inofficiosi testamenti universam donationem re-  
 vocari opinantur. Verum enim vero non om-  
 nibus hæc opinio arridet, cum enim in *l. 4.*  
*Cod. de inoff. donat.* statutum, quod pinguis  
 matri succurratur per restitutionem in integrum  
 quam per querelam inofficiosæ donationis, non  
 alia de causâ sine dubio, quam quod per resti-  
 tutionem in integrum res in eum statum, in quo  
 antea fuit, reponatur, *l. quod si minor 24. §. re-*  
*stitutio 4. ff. de min.* Inde sequatur necesse est,  
 illud per querelam haud fieri. Quodcumque  
 enim concurrunt duo remedia extraordinaria,  
 ut sunt h. l. querela inofficiosæ donationis *arg. §.*  
*2. l. de inoff. test.* & restitutio in integrum *l. in*  
*causis 16. pr. ff. de min.* tunc illud est eligendum,  
 per



per quod pingvius alicui consulitur. *Sichard. ad Leg. 4. Cod. de inoff. don.* Quo posito nihilominus similitudo inter testamenti inofficiosi & inofficiosæ donationis querelam subsistere potest, ad quam conservandam sufficit, si in plurimis utraque querela comparatur, licet in hoc differant: cujus ratio est, quod is, qui querelam inofficiosi testamenti proponit, queritur, se inique exheredatum aut præteritum, adeoque totum testamentum cujusdam impietatis incusat, quod & individua testamenti natura efflagitat, cum constet, illud pro parte valere & pro parte non valere haud posse §. *heredit. 7. Inst. de hered. Instit.* At in donatione aliter se res habet, ea enim utpote pactum & negotium inter vivos nullo remorante facile pro parte corruiere poterit; ut sic donatarius gaudeat liberalitate donantis, liberique legitima portione fruatur. Quæ latius deducerem, nisi hoc ipsum expedire sibi sumsisset utriusque Juris Candidatus Clarissimus

**CHRISTIANVS FRIDERICVS  
STAPENIVS,**

ADVOC. ALTENBURG.

Aspexit is primam lucem, Die Petri & Pauli Apostolorum, Mense Junio M DC LXXXIV.

Halæ



Halæ Magdeburgicæ, quo paulo ante Parentes  
 ejus ob pestis vehementiam secesserant, Patrem  
 nactus Virum Plurimum Reverendum ac do-  
 ctissimum PHILIPPVM JACOBVM STA-  
 PENIVM, Gymnasii Episcopo-Ducalis Mer-  
 seburgensis per XLVI. annos Collegam meritis-  
 simum, Vicarium & Succentorem in Summo,  
 nec non frumentarium Vicariorum Procura-  
 torem dexterrimum; Matrem vero ANNAM  
 CATHARINAM KELLERIAM, Filiam  
 Organoedi Grüningæ, sede olim Halberstadien-  
 sium Episcoporum celebris oppidi, jam gran-  
 dioris ævi matrona & vidua etiam nunc mœ-  
 stissima. Postea Noster Merseburgi ad Salam  
 educatus, quamprimum ætas litterarum capax  
 videbatur, Parentibus ad omnem pietatem ac  
 virtutem ipso exemplo præeuntibus, in Gymna-  
 sium, quod ibidem floret, est traditus, &, con-  
 fectis omnium classium spatiis, ruditatem exiit,  
 toties ipsius industriæ per se currenti Præceptori-  
 bus calcar addentibus. Ex omnibus vero sub  
 CHRISTOPHORO CELLARIO, Polyhi-  
 store celebratissimo, se maxime profecisse profi-  
 tetur, cujus Viri judicio natus adhuc XIII. an-  
 nos dignus habitus, qui in Academiam Frideri-  
 cianam, tum recens fundatam, se conferret. Ni-

B

hilo-



hilominus tamen, cum visum Parenti fuerit, ut in litteris melioribus, quibus cætera omnia tanquam moles inniti solent, se magis confirmaret, ultra his ipsis immoratus, Lipsiam adiit, ubi emensus studium Philosophicum, adjunctusque subsidii Stipendii Philosophici Episcopo-Ducalis A. MDCXCIX. Summum inde Gradum retulit, quem anno sequenti Disputatione *de Comuni Artium doctrinarum vinculo & cognatione* exornavit, eaque ratione locum inter Magistros legentes obtinuit. Etsi autem Parentum votum erat, ut studiis Theologicis sese manciparet, neque ille etiam parentum voluntati refragabatur, ei ad tempus obsecutus, tamen, cum jam ex D. FRANCKENSTEINII prælectionibus Notitiam Imperii Bœclerianam, nec minus privatum Jus ex collegiis BALTHASARIS WERNHERI, Jcti & Professoris nunc Vitembergensis, tunc vero Magistri legentis Lipsiensis, ut & ANDRÆ MYLII, Jcti nunc beati, ore hausisset, eo propensus in arctiores divæ Themidos amplexus devertebat. Hinc, postquam RECHENBERGIO, MENCKENIIS, OLEARIIS, & aliis magnis nominibus, quibus se plurimum in omni elegantiori doctrina debere, gratissimus publice nunc agnoscit, valedixerat,



rat, primum Merseburgum rediens aliqu andiu  
 ibi substitit, deinde A. MDCCV. ad Fri derici-  
 anam Hallensem divertit, & ex ore post fata et-  
 iam Illustris STRYCKII juxta ac LVDOVICI  
 sedulo pependit, & Jus Feudale cum Civili pari  
 industria absolvit. Turbata vero sub autumnum  
 Anni MDCCVI. quiete Saxonix superioris ab  
 exercitu Svedorum, nostroque occasione itine-  
 ris in Saxoniam Inferiorem eo ipso tempore af-  
 fulgente, inde in Fœderatum Belgium usque  
 excurrit, ejusque insignioribus æque urbibus ac  
 instructoribus Bibliothecis perlustratis, eo pa-  
 cto celeberrimis Viris GRÆVIO, PERIZO-  
 NIO, BYRMANNO, NOODTIO, JCTO;  
 aliisque innotuit, inde Merseburgum reversus,  
 cum parentibus suis per quadriennium, & quod  
 excurrit, summam publicorum temporum æ-  
 rumnam ac difficultatem a Svedorum invasione  
 coortam multis casibus expertus est. Tandem  
 A. MDCCXIII. Cursum Universi Juris repe-  
 titurus, me Hospitem suum Instituta explican-  
 tem multa cum solertia audivit. Iuxta etiam  
 Viro Nobilissimo, Consultissimoque Consilia-  
 rio DIETHMARO Jus Civile, Canonicum  
 & Feudale prælegenti, eidemque & Filio meo  
 BERNHARDO ADOLPHO FRISIO, J.



V. D. ad ea, quæ ad forum pertinent, præventibus operam dedit. Quibus etiam absolutis sedem fixam sibi circumspicere cœpit, & svasu Patronorum ex alma hac Salana post Palchatos M DCC XIV. Altenburgum concessit, Præsides & Consiliarios Dicasteriorum, quod in præcipua fortunæ suæ parte semper collocabit, ad aperiendum forum promptissimos & quam facillimos expertus. Nunc tot laboribus superatis iterum ad Nos rediit & decenter petit, ut ad summos in Utroque Jure honores aditus sibi pateat. Cui honestissimo desiderio Facultas nostra tantum abest, ut deesset, ut potius ad prima studiorum experimenta viam muniret: In quibus eum dignissimum invenit, qui ad publica etiam pericula & castino die primum ad Cursoriam, quam vocant, Lectionem super *L. ult. C. de inoff. donat.* habendam omnium cum consensu admitteretur. Quem actum ut Pro-Rector Magnificus, Proceres Aulæ & Academiæ Excellentissimi, Ecclesiæ nostræ Antistites Venerabiles, omnium Ordinum Doctores & Magistri, & lætissima Studiosorum concio, conspectio-rem facere velint, ea, qua par est, humanitate rogo. P. P. Jen. XIII. Cal. Febr.

M DCC XV.

(L. S.)



ULB Halle

3

005 312 361











1715,5

17  
7

IO. BERNH. Griesens,  
 IVRISCONSULTI,  
 CONSILIARII SAX. AVL. ET CONSIST.  
 ANTECESSORIS, NEC NON CVRIÆ  
 PROVINCIALIS ET SCABINATVS  
 ADSESSORIS FACVLTATIS IVRI-  
 DICÆ H. T. DECANI

PROGRAMMA

CHRISTIANI FRIDERICI  
 STAPENII

ADVOC. ALTENBURG.

LECTIONI INAUGVRALI PREMISIVM.

I E N Æ,  
 PRELO WERTHERIANO.

*Chn Friedr. Stapen*

*Actu quærelæ in officio  
 donationis.*

